



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV**

**Muret, Marc-Antoine**

**Antverpiæ, M. D. LXXXVI.**

Cap. 9. Emendati loci aliquot è Mostellaria Plauti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

suas res sibi habere iussit, ex XII. tabulis claves ademisse, et egit. non, ut in aliis, *Causam addidit, exegit.* Nam & Nonius Marcellus aperte id confirmat, qui in libro De *Varia* significatione sermonum, cum dixisset, exigere idem esse quod excludere; *M. Tullius*, inquit *Philippicis lib. II. Claves ademisse, forasque, exegit.* Illud autem, *forasque*, an recipiendum sit, alij viderint. mihi quidem non displicet. quamuis non legitur in veteribus libris, quos ego quidem viderim. Sed & aliam coniecturam eiusdem Victorij de loco quodam è primo libro accusationis, siue ex actione secunda in Verrem (ita enim liber ille citandus est; non ut à Victorio qui, accommodans, credo, se ad consuetudinem vulgi, septem facit actiones in Verrem, cum sint tantum duæ) eam igitur coniecturam non inanem fuisse, idem Grammaticus ostendit. Cum enim vulgò ita legatur *Quod ubi est Philodamo nuntiatum, tamen si non erat ignarus*, &c. Victorius admonet legendum, *tamen si non erat ignarus.* apud Nonium autem paulo aliter legitur, sed eadem planè sententia; nempe hoc modo: *Tamen si non erat ignarus.* Has igitur doctissimi hominis coniecturas veteris Grammatici auctoritate confirmare, operæ pretium duxi.

*Emendati loci aliquot è Mostellaria Plauti.*

CAPVT IX.

**A**PRVD Plautum in prima Mostellaria lepidissimum colloquium est duorum seruorum, Grumionis rustici, qui, absente sene, herilem filium corrumpi, remque familiarem dissipari doleret: & Trannionis, nequam hominis, qui hero adolescentiori esset voluptatum ac libidinum administer. sed ea tota pars & in omnibus libris corruptè legitur, & in iis, quos Ioachi-

Ioachimus emendauit, corruptissimè. Nunc igitur libet locos aliquot emendare: cetera aliàs, cùm videbitur. vbi ergo Grumio ita minitans dicit:

*Augebis ruri numerum, genus ferratile:*  
legendum est:

*Augebis ruri numerò genus ferratile.*

genus enim ferratile vocat seruos, qui ruri in compe-  
dibus agerent: atque id genus numerò, id est, breui,  
nempe cùm redierit senex, à Tranione auctum iri ait.  
Aliquot versibus post, vbi ita loquitur Tranio:

*Quid tibi, malum, mea, vt quid ego agam, curatio est?*  
legi debet:

*Quid tibi, malum, me, aut quid ego agam, curatio est?*  
ita enim dictum est, vt illud, quid tibi hanc curatio est?  
ille autem versus,

*Meum bonum me, te tuum maneat malum,*  
à Grumione dicitur, hoc sensu: Non recuso, quomi-  
nus ego nunc duriter viuam, tu lautè, & opiparè: dum  
me quidem maneat bonum meum, te verò maneat  
malum tuum, cùm venerit senex. Vnum etiam men-  
dum tollam: cetera in aliud tempus reuiciam. In libris  
Ioachimi ita leguntur hi versus:

*Quid est: quid tu me nunc obtuere furcifer?*

G. R. Pol tibi istuc credo nomen actutum fore.

T. R. Dum intereas, sic sit istud actutum sino.

postremus autem eorum ita legendus est:

*Dum interea sic, sit istud actutum: sino.*

est enim hæc oratio hominis præsentia tantum spe-  
ctantis, futura negligentis. Dum, inquit, interea sic  
sit, vt nunc est, quid actutum futurum sit, non laboro.

Mareti  
lectio  
LII  
25